

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

15 April 2013

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Isidore on the etymology and meaning of "heresy," "sect," and "schism."

"Haeresis" Graece ab "electione" vocatur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat quod melius illi esse videtur, ut philosophi Peripatetici, Academici, et Epicurei et Stoici, vel sicut alii qui perversum dogma cogitantes arbitrio suo de Ecclesia recesserunt. Inde ergo "haeresis," dicta Graeca voce, ex interpretatione "electionis," qua quisque arbitrio suo ad instituenda, sive ad suscipienda quaelibet ipse sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Dei habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi angelus de caelis aliter evangelizaverit, anathema vocabitur. "Secta" a "sequendo et tenendo" nominata. Nam "sectas" dicimus habitus animorum, ac instituta circa disciplinam vel propositum, quem tenendo sequuntur, longe alia in religionis cultu opinantes quam ceteri. "Schisma" ab "scissura animorum" vocata.

2. Chapter headings of a narrative of Alexander the Great.

8.1. [D]e aduentu regine Amazonum et quid ibi ab ipso impetrauerit.

2. De combustione suppellectilis regie et castrensium.

3. De conspiratione Philote et aliorum.

4. De oratione Philote et morte ipsius.

5. De morte Bessi proditoris.

6. De expeditione contra Scitas et eorum oratione ad Alexandrum.

7. De uictoria habita de Scitis.

9.1. [Q]uod Alexander contra Porum expeditionem parat.

2. De nobili morte duorum iuuenum Nichanoris et Simachi.

3. De Athalo cuius similitudine Porum circumuenit.

4. De conflictu utriusque partis et de uictoria Alexandri.

5. De obsidione Sudracarum et saltu Alexandri.

6. Qualiter proponit subire oceanum et de oratione suorum ad ipsum.

7. De responso eius et proposito mirabili.

10.1. [Q]uod Alexander classem dirigit in Oceanum.

2. Quod Natura indignans descendit ad Stigios.

3. De consilio inferorum.

4. De reditu Alexandri ab Oceano et expeditione quam parat contra occidentales.

5. Quod uniuersi reges et insule terrentur audita fama Alexandri.

6. Quod Alexander intrat Babilonem.

7. De legatis uniuersarum nationum et muneribus ei oblatis.

8. De oratione habita ad legatos suos.

9. De ueneno hausto et extrema eius uoluntate.

10. De morte ipsius et planctu ciuium.

3. Thomas of Monmouth: A woman cured by the intercession of William of Norwich

Fuit in diebus illis Norwici mulier quedam pauperula in hospitali quod Brichtiue dicebatur iacens, morbi diuturna laborans ualitudine, ac sui omnino impotens. Erat quippe toto inflata et ulcerosa corpore ac tanquam elephantino percussa incommodo miserabile et horrendum intuentibus prebebat spectaculum. Cumque per annum et amplius tali ac tanta laborasset egritudine, in uisu noctis uenit ad illam beatus martir Willelmus et ait: "Tue compassus miserie misereor tui, mulier, tuoque languori salutare uenio conferre remedium." Tunc a capite per membra singula medicabilem illam deducens dexteram uniuersum tam subito lenire uidebatur dolorem, ac si olle feruentissime frigidissimam iniecisset aquam. Manum preeuntem salus consequbatur uelocissima, et ad digitorum medicantium presentiam fugiens excedebat infirmitas. Conuersusque ad illam martir ait: "Ecce sana facta es: age gratias deo ac mihi quoque, per cuius manum te diuina curauit gratia, proprioque labore adquisitam mihi afferre non differas candelam." Expergefata mulier dolorem mitigatum sentit continuo, et quod per uisum dormiens uiderat non aliter se habere uigilans exultat.

4. Aelred of Rievaulx on the spiritual significance of Jesus' childhood.

Dominus Deus noster, Deus unus est. Non potest uariari, non potest mutari, dicente Dauid: *Tu semper idem es, et anni tui non deficient*. Hic igitur Deus noster aeternus, intemporalis, incommutabilis, in nostra factus est natura mutabilis et temporalis, ut mutabilibus et temporalibus ad suam aeternitatem et stabilitatem uiam faceret eam, quam pro nobis assumpsit, mutabilitatem; ut in uno eodemque Salvatore nostro, et uia esset qua ascenderemus, et uita ad quam ueniremus, et ueritas qua frueremur, sicut ipse ait: *Ego sum uia, ueritas, et uita*. Magnus itaque Dominus in sua natura persistens, paruulus natus est secundum carnem, per certa temporum spatia profecit et creuit secundum carnem, ut nos mente paruuli, immo paene nihili, spiritualiter nasceremur, et per spiritalium aetatum distinctiones cresceremus et proficeremus. Ita eius profectus corporalis, noster est profectus spiritalis, et ea quae ab eo in cunctis aetatibus acta describuntur, in nobis per singulos profectuum gradus spiritaliter agi a bene proficientibus sentiuntur.